Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1677

Quelle:
Copyright:

besque muratas aedificaſſet. Ad ea, quae annis 1418. et 19. *Pragae* ab *Huſſitis* mota et acta ſunt, adludit Noſter; ad hos enim illum pertinuiſſe, citatus ab eo *Doctor ewangelicus* i. e. *Wicleffus* manifeſtum facit. Opus porro ſuum ita concludit: *Et in iſto pono finem huic labori quem offero domino meo ieſu chriſto velud ſagum cilicinum tactu licet aſperum et viſu rude ad precioſum ſuum thabernaculum. in quod pilos olentis capre pauper obtuli, contra pluuias et caumata errorum vtcumque contegendum et deffendendum Amen.* Nihil de Eo Scriptores, qui quidem ad manum ſunt, commemorant.

III. *fol.* 90. manu Sec. XIV. absque inſcriptione Tractatus ſcholaſticus de Praedeſtinatione et libero Arbitrio, cujus initium: *Quia plerosque ſollicitat an predeſtinationis diuine ſimiliter et reprobacionis aliqua cauſa in predeſtinato et reprobato conſiſtat ut puta meritum uel demeritum* &c. Dirigitur contra *Pelagianos*, quos *ingratos* vocat et *gratie inimicos.* Turbata ſunt folia, Tractatumque hunc incurrit *Dialogus Magiſtri et Diſcipuli* de eadem materia, item Sermo *de Morte*, Librarii ipſius, ut videtur, vitio.

CCCCXXV.

568 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 216. 4. non una manu conſcriptus ſequentia continet Opuſcula: I. ut in praevio notatur *Elencho*, tractata a M. *Johanne Przibram* Quaeſtio: *An ſacerdotes chriſti poſſunt ſacras miſſas eo ritu, quo nunc per orbem geruntur, in vaſis et veſtibus, non ad vſum communem, ſed ad ſacrificandum ſpecialiter deputatis circumſcripto ab eis omni peccato licite et meritorie celebrare.* Reſpondetur affirmando contra *Picardos.* Initium: *Cum firma fide credendum eſt, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora omnibus temporibus antedecurſis periculoſiora* &c. Jam indicata ἀνωνυμως *Cod.* CCCCXXIII et DCCCII.

II. *fol.* 37. *Iſti articuli ſunt Picardorum et aliorum eos ſequentium dampnati et reprobati per fideles bohemorum* (adjecit alia manus) *Magiſtros preſertim M. Jo Przybram.* Initium: *Ihesus chriſtus dominus omnipotens qui eſt deus et ſcientiarum dominus* &c. Opuſculi autor *Wencesl. de Podiebrad.* Adi *Codd.* CCCCXXIII. et praeced.

III. *fol.* 96. *Tractatulus*, ut Rubrica calcis, *de Antichriſto editus per magiſtrum Jacobellum de Miza.* Ejus initium: *Utrum ſicut ex ſcriptura plene conſtat chriſtum in plenitudine temporis perſonaliter adveniſſe, ita evidenter ſit deducibile ex eadem antichriſtum in complemento ſeculi propria venire in perſona.* &c. Jam relatus alibi.

IV. *fol.* 112. *Sequitur de Antichriſto Doctoris Sacre Theologie Stanislai* (de Znoyma) *Contra Magiſtrum Jacobellum.* Initium: *Cum oppoſitorum ſuo tempore poſſibilium* &c. Itidem relatus.